



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quomodò sit intelligendum, quandò dicitur, sacramenta, opera, oratio, ieiunium, eleemosyna, charitas, &c. remittunt peccatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Esa. 42. &
48.

tus hominis est, quæ possit remittere peccatum, & dare vitam æternam, saluare & iustificare, sed solus Deus reseruat sibi hanc gloriam, de qua ait: Gloriam meam non dabo alteri, illius est saluare & iustificare. Solum igitur Christi meritum & mors pœnalissima, hoc vnicum opus propitiatorium, semel ista meruit. Est igitur remissio peccatorum & vita æterna à solo Deo.

Luce 7.

Quæritur, si remissio peccatorum & vita æterna est à solo Deo & merito Christi, & nobis gratis distribuitur ex misericordia propter Christum: cur ergo scriptura tribuit operibus illa duo, remissionem scilicet & vitam? Dan. 4. Peccata tua elemosynis redime. Et Tob. 4. Elemosyna ab omni peccato & à morte liberat. Et Christus in Euangelio Luce 7. Date elemosynam, & ecce omnia munda vobis erunt. Item Matthei 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: & Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. & Ioan. 5. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: &c. Et Paulus Roman. 7. Gloria & honor & pax omni operanti bonum. Galat. quinto. Qui seminat in Spiritu, de Spiritu metuet vitam æternam, &c. Hæc & consimiles auctoritates scripturæ sic sonare videntur, quod & ipsa opera à nobis sic operata, sua virtute & dignitate nobis impetrent remissionem peccatorum & vitam æternam. Respōdeo: Vulgus malè intelligit sic scripturam: non hoc esset detrahere Deo suam gloriam & honorem, qui dicit propter seipsum remittere peccata, Esa. 42. Hoc est derogare Christo, quia aliàs gratis venisset & passus fuisset, Galat. 2. si nos operibus & virtutibus nostris operatis possimus mereri vitam æternam & remissionem peccatorum. Idèd sic intelligendæ sunt scripturæ auctoritates, quod DEVS per hæc merita distribuit ista sua & Christi beneficia, non sic propter

pter ipsa, quasi sint causa & fons remissionis & vi-
 tæ: nam causa & fons est Dei bonitas, ipsa passio Chri-
 sti: quare opera, sacramenta & virtutes non remit-
 tunt peccata propria sua dignitate & conditione, ne-
 que donant vitam, sed Deus suam misericordiam &
 beneficia per hæc distribuit. Promisit nobis Deus cre-
 dentibus remissionem & vitam, sed huic promissio-
 ni addidit quasdã externas notas subiectas sensibus,
 id est, sacramenta visibilia, baptismum, cœnam, pœ-
 nitentiam &c. opera pia, elemosynam, remissio-
 nem offensæ. Matthæi 6. vt illæ notæ nos admoneât
 & certificent de remissione & illa Dei promissione,
 si fuerint obseruatæ à nobis, vt cum suscipio sacra-
 mētum baptismi, certificor de promissione remissio-
 nis: si remisero offensam proximi, certificor de remis-
 sione apud Deum, non quòd baptismus aut remissio
 offensæ aut aliud opus remittat peccata, & donet vi-
 tam æternam: sed istis notis, id est, sacramentis & o-
 peribus, ego certificor de promissione remissionis,
 quòd eam iam accepi: ideò vt memoria promissionis
 Dei semper duraret, adiecit Deus hæc visibilia sacra-
 menta & opera. Quare non solùm est considerandũ
 sacramentum, cœremonia vel opus, sed potissima re-
 quirenda est promissio circa hoc opus externum ad-
 iectũ, cuius promissionis causa & gratia admonitio-
 nis, hoc signum, sacramentum vel opus, à Deo insti-
 tutum est. Deus ergo per hæc media remittit pecca-
 ta, donat vitam æternam, non autem ipsa media, vel
 sacramenta vel opera. Quisquis verò contemnit has
 notas adiectas promissionibus diuinis, nempè sacra-
 menta, baptismum, cœnam, elemosynam, oratio-
 nem, remissionem offensæ &c. is sibi persuadeat pro-
 certo, nec ipsum capacem esse promissæ remissionis
 peccatorũ & vitæ æternæ. Qui autem illa vel suscepe-
 rit vel fecerit, circa illam fidem in promissionē Dei,
 circa hoc opus factũ, accipit fructũ ex fonte & mise-
 ricor-

ricordia Dei ac meriti Christi, non operis operati.
Et sic gloria soli Deo seruatur. Psalm. 113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et Lucę 17. Nos serui inutiles sumus: ipse totum dat & promittit operibus, ab illo totum procedit. Quod autem beneficium Dei nobis sic distribuitur, ex merito Christi est, non ex merito & dignitate operum nostrorum. Ipse promittit & donat eam dignitatē operi, quod per illud tanquam per medium, distribuit beneficium. Opus ipsum ex natura non habet, ergo Deus remittit & dat vitam. Vt igitur frequens occasio nobis esset quærendi largam Dei beneficij Christi distributionem, alligat illam nunc fidei, nunc sacramentis, nunc orationi, nunc ieiunio, eleemosynæ, obseruantię proceptorum, &c. Non vt illa sint causa & fons distributionis, sed Deus sic largus, sic diligens nos, vbique offert occasionem, vt pulsemus ac accipiamus per hæc media Christi thesaurum. Ipse Deus dat & distribuit per hæc media. Media enim hoc non efficiunt, vt dictum est.

3. Quoniam verò Christus adhuc est in mundo, immodò dicit: vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, Matthæi ultimo, ergo & hodiè quærit saluos facere peccatores per verbum suum, per quod vocat ad pœnitentiam. Igitur remissio & promissio vitæ, durat & efficax erit vsque ad diem nouissimum propter Christum. Igitur non semel, sed septuagies septies, Matthæi 18. id est, toties quoties opus fuerit, vult remittere peccatum, & quotidie iubet orare dimitti nobis debita, non semel, Matt. 6. Ideò sicut solius ordinatione Dei stabit in cœlo vsque ad vltimum, ita promissione Christi qua vult esse vobiscum vsque ad consummationem seculi, durabit remissio peccatorum, modo nos pœniteamus, & redeamus ad Christum, qui pronior est ad miserandum, quàm nos ad pœnitendum.

CAPVT